



# Disputatio juridica inauguralis de contractu pignorum

<https://hdl.handle.net/1874/342458>

21.

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
D E

CONTRACTU PIGNORUM;

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaeque*

*Facultatis JURIDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitime consequendis,

*Eruditorum examini subijcit*

REGNERUS GERARDUS à RUYTENBURGH, PURM. BAT.

*A. D. 21. Julii, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lōc xc.

*Viris antiqua atque Illustri stirpe summorum-  
que honorum genere conspicuis.*

**D. GERARDO CON-  
STANTINO à RUYTENBURGH,**

Reipublicæ Purmerendanae Consuli,  
ejusdemque Civitatis ut & Bamestræ ac  
Wormeræ Prætori summo, Purmeræ  
Chomarcho, ad Confessum Nobilissi-  
morum & Præpotentum Ordinum Hol-  
landiæ & West-Frisiæ, Deputato Paren-  
ti, in perpetuum colendo,

NEC NON

Patruo, Avunculis, Avunculo magno, cæ-  
terisque Cognatis mihi agnatione co-  
gnationeque junctis.

*Hanc Dissertationem Inauguralem*

submisit offert

R. G. à RUYTENBURGH,

*Auct. & Resp.*



# DISSERTATIO JURIDICA

## INAUGURALIS,

DE

# CONTRACTU PIGNORUM.



Um sit frequens & necessarius pignorum usus, in animum induxi hanc materiam seligere, lectorumque animis proponere. Non omnia tamen, quæ huc pertinent congerere volui, neque omnia dubia circa hanc materiam occurrentia huic dissertationi inserere, hoc enim nimis scopum egrederetur. Omissis igitur ambagibus nostram sententiam brevibus declarabimus.

## CAPUT I.

*Quo traditur vocis origo ejusque varia notatio.*

§. 1. Pignus appellatum a pugno, quia res quæ pignori dantur manu traduntur *secund. Caj. in l. 238. §.*

*2. de verb. sig.*

§. 2. Vox pignoris ambigua est. Pignus generaliter sumptum comprehendit hypothecam, atque ita pignus in genere notat omnem securitatem, quam debitor præstat creditori: quo sensu pignus & hypotheca tantum nominis sono differre dicuntur, *l. 5. §. 1. de Pign. & hyp.*

§. 3. Specialiter vero acceptum differt ab hypotheca variis modis. Pignus plerumque constituitur in rebus mobilibus, quarum possessio transit ad creditores. Hy-

#### 4 DISSERTATIO JURIDICA

potheca vero in rebus immobilibus, quarum possessio manet apud debitorem *l. 9. §. 2. de pig. act.*

§. 4. Hinc novum discrimen: pignori non præscribitur, cum creditor illud possideat, Hypothecæ vero præscribitur non tantum per tertium penes quem res est, sed & per ipsum debitorem apud quem res Hypothecæ obnoxia manet, atque ita creditorem non agentem actione hypothecariâ intra 40 annos excludit *l. 7. Co. de Præ. 30 ann.*

§. 5. Deinde pignus contractu civili, Hypotheca vero pacto prætorio constituitur.

§. 6. Moribus hypotheca rei immobilis non contrahitur, nisi in fidem rei gestæ scriptura conficiatur coram magistratu rei sitæ, si allodialis sit, aut coram paribus Curiæ, si feudalis sit. Pignus vero sola traditione rei immobilis, hac lege creditori facta, ut pignori sit, constituitur. DD. vulga.

§. 7. Tandem pignus in jure nostro quadrupliciter accipitur. Nam & rem notat pro debito creditori obligatam, ut in toto *tit. Cod. de dist. pig.* Et jus in re constitutum ut in *tit. qui pot. in pig. & hyp.* Et hypothecam *l. 17. §. 2. de Præ. l. 12. de pig. act.* Et denique contractum quo jus illud constituitur *§. ult. q. m. re cont. obl. l. 5.* Quæ significatio hujus loci est.

#### CAPUT II.

*Quo traditur atque explicatur pignoris definitio.*

§. 1. *Pignus est contractus jurisgentium, nominatus, bonæ fidei, re constans, quo debitor creditori rem tradit hac lege ut eadem res soluto debito restituatur.*

*Pignus*



*Pignus est contractus*, est enim conventio duorum, habens nomen legitimum, suaque naturâ producens actionem. *Jurisgentium* cum cæteris gentibus fuerit solenne atque usitatum creditoribus dare pignora ut creditum magis in tuto sit: suadet hoc ipsum ratio, ususque commerciorum communis. *Nominatus*: nomen enim hoc ipsi inditum est à lege atque inter nominatos recensetur *l. 1. §. fin. de Pact. junct. l. 7. §. 1. eodem tit.*

§. 2. *Re constans*: neque enim solo consensu perficitur, sed rei traditione §. 4. *q. m. r. cont. obl.* Dissentiunt nonnulli per *l. 1. §. 1. de Pig. act.* Ubi pignus non solâ traditione, sed etiam nudâ conventionione dicitur contrahi, et si traditum non sit, At facilis Resp. Pignoris vox ibi late sumitur & in genere, ut hypothecam comprehendat, quæ pacto prætorio constituitur vid. *l. 4. de pig. §. hyp.*

§. 3. Ex eo, quod contractum esse diximus, sequitur, pignus nec coactionem, nec dolum ferre, cum nihil magis contrarium sit consensui, quam dolum, metus, & error. Pignus metu contractum, sive per vim extortum, prætorio jure est rescindendum, uti cætera negotia per metum gesta. Pignus cui dolum causam dedit ipso jure non valet, cum sit bonæfidei contractus; quod si dolum incidit in contractum pignoris, læsio per dolum facta per actionem pignoratitiam reparatur.

§. 4. Quod ad errorem attinet, sic habendum, si erratum fuerit in persona, non valebit pignus, veluti si putem me Sempronio pignorare, cum sit Cajus *arg. l. 9. de her. instit.* Pari modo non valet pignus si erratum sit in corpore sive re quæ pignori datur, veluti si convenit ut aurum quod ostendebatur esset pignori, & non

illud aurum debitor, sed æs ignorantibus creditori dedit, non æs illud, quod datum fuit, erranti creditori, sed aurum ostensum pignori obligatur. *l. 1. §. 1. de pign. act.*

§. 5. *Quo debitor.* Ab eo enim qui ex contractu vero vel quasi vel aliâ causâ alicui debitor existit res pignori datur. Nihil tamen impedit, quo minus tertius, qui debitor non est, rem suam pro debito alieno supponat, pari modo, quo alius pro alio etiam invito solvere potest; Jura enim magis prona sunt ad liberandum quam ad obligandum. Illud quidem indubium est per filium familias patri acquiri pignus, & vice versâ *l. 28. de pig. & hyp.* filius enim cum patre eandem personam constituit per fictionem juris. Sic quoque per servum domino arg. *l. 1. C. per q. pers.* sive autem dominus ipse pignus constituat, sive alius nomine atque mandato ejus, idem erit, quod enim quis per alium facit ipse fecisse videtur. Rati habitio quoque hoc loco idem operatur quod mandatum. *l. 21. in pr. de pig. & hyp.*

§. 6. *Creditori rem tradit*, sc. mobilem, quæ proprie à manu in manum transferri, id est tradi potest. Vocem traditionis accipe in sensu minus pleno, non enim tradere hoc loco est dominium transferre, cum desit idoneus transferendi titulus, sed nudam atque naturalem possessionem, hoc est detinendi facultatem *l. 35. in fin. de pignor. act.* Ubi: *Pignus, manente proprietate debitoris, solam possessionem transfert ad creditorem.*

§. 7. *In securitatem.* Quibus verbis partim forma essentialis, partim finis & effectus pignoris notatur. Scilicet, pignus datur, ut creditori in tuto sit creditum atque



atque ille tandem ex pignore cujus distrahendi facultatem habet, ubi debitor in solutione moram facit, suum consequatur, atque ita plus cautionis est in re quam in personâ *l. 25. de R. J.*

§. 8. *Crediti.* Qualecumque illud sit creditum, nihil interest; siue obligatio subsit plena, hoc est naturalis & civilis simul, siue minus plena, aut naturalis tantum; Debito enim naturali pignus quoque accedere potest, pari modo, quo fidejussor pro debitore naturali tantum validè & civiliter obligatur. Modo debitum sit verum & præsens; etenim pro debito conditionali & nondum nato pignus dari nequit; saltem non cum eo effectû, ut statim obligetur, cum pignus accessorium sit, adeoque ante principale debitum subsistere non potest. convalescit tamen simul ac conditio extiterit, atque obligatio principalis nata fuerit.

§. 9. *Hac lege ut eadem res soluto pretio restituatur.* Ex eo, quod diximus pignus in securitatem crediti dari, illud sequitur, non posse repeti, nisi totum creditum sit solutum *l. 9. §. 3. de pign. act.* Nullibi tamen legimus definitum illud tempus, quo debitor solvere debitum atque hac actione pignus repetere possit, & facultati luendi pignus ne quidem longissimo tempore præscribitur, cum præscriptio non possit operari nisi contra actionem aut jus jam natum; Illud enim, quod non est, tolli non potest; At vero actio pignoratitia ante solutum debitum nondum est *l. 9. §. 3. de pign. act.* Ubi Ulpianus disertè ait. *Omni pecuniam exolutam esse debere; aut eo nomine satisfactam, ut nascatur pignoratitia actio.* Ergo non potest tolli nisi soluto debito. *Obst. l. fin. de pign. act.* Resp. hæc lex loquitur de eo casu quo actio hæc jam nata erat per debiti solutionem.



nem. *Opp. l. 4. Cod. de pign. act. Ubi nullum est jus cui non perimatur 40 annis.* Resp. hoc est accipiendum de actione & jure jam nato, non de jure luendi pignus, quod meræ est facultatis. Restituendum vero pignus est in specie cum omni causa *l. 6. §. ult. de pign. act. l. 33. §. ult. de distr. pign.* & eo quod interest debitoris ob dolum & culpam, creditoris latam & levem; Uti quoque ob moram in restituendo in pignore. Culpam levissimam non præstat creditor, multo minus casum fortuitum *§. 4. q. m. r. cont. obl. l. 13. §. 1. de pign. act.* sed de his mox latius.

## C A P U T III.

*In quo tractatur de rebus quæ in contractum pignoris veniunt.*

§. 1. **U**bi pignus generaliter accipimus ut sub eo comprehendamus hypothecam, dicendum omnes res quæ emptionem venditionemque recipiunt atque in commercio sunt pignori subjici posse. *l. 9. §. 1. de pign. act.*

§. 2. Non minus res *immobiles* ut agri, *l. 76. de verb. signif.* ubi possessionis appellatione agri significantur, quam *mobiles* ut mancipia *l. 26. §. 2. de pign. & hyp.*

§. 3. *Res corporales & incorporales*, ut sunt nomina debitorum *l. 4. Cod. q. r. pign. obl.* Item servitutes personales, ut usus, usufructus, id est facultas utendi, fruendi, quæ apud debitorem est. *l. 11. §. 2. de pign. & hyp.*

§. 4. *Non solum res præsentis sed & futuræ*, ut fructus pendentes, partus ancillarum, fætus pecorum, *l. 15.*

*l. 15. de pign. & hyp.* Quod intellige dummodo res principales, ex quibus res futuræ sunt nascituræ, sint in bonis debitoris. *l. 11. §. 3. q. pot. in pign.*

§. 5. *Res communis* quatenus pars ejus pro indiviso nostra est, obligari potest *l. un. Cod. si res com. pig. dat. sit*, quia res aliena oppignorari nequit. *l. 6. C. si alien. res.* Militia quoque si talis sit, quæ vendi & ad heredes transmitti possit *l. ult. C. de pign. & hyp.* qualis est militia apparitorum vel adjutorum quæstoris oppignorari potest. *Nov. 53.* Objici posset quænam utilitas hujus hypothecæ. Resp. Qui habent militiam ferunt commoda & annonas ex Fisco; hæc commoda sibi vindicant creditores jure hypothecæ. Vide *Cujac. in expos. Nov. 53.*

§. 6. Itaque pignus non recipiunt res commercio exemptæ, ut sunt sacra, sanctæ, religiosæ, *l. 3. Cod. q. res pign. obl. n. pos.*

§. 7. *Liberi homines*, ut filiusfamilias *l. 6. C. q. res pig. obl. pos.*

§. 8. *Res pupilli immobiles* non aliter quam ex decreto judicis obligantur, hac enim ratione demum vendi possunt, secus in rebus mobilibus, quæ autore tutore vendi, pignori que dari possunt, sic cape *l. 1. in princ. quæ re pig. dat. pos.*

§. 9. *Res litigiosa*, quia hæc res aliena fieri non potest ob eandem rationem *l. 1. §. fin. q. r. pig. ob pos.*

§. 10. *Instrumenta rustica* parata ad agriculturam ne agricolæ suis instrumentis destituti agriculturam deferant magno cum detrimento reipublicæ, & jactura tributorum, *l. 7. 8. & auth. seq. Cod. q. r. pign. obl. pos.*

§. 11. *Servitantes prædiorum urbanorum*, oppignorari



gnorari non possunt *l. 11. §. 3. de pign. & hyp.* Ubi jura prædiorum urbanorum pignori dari non possunt, igitur nec convenire possunt, ut hypothecæ sint. At de servitutibus prædiorum rusticorum meâ opinione prævalent eorum sententia, qui ajunt eas oppignorari posse, per *l. 12. de pign. & hyp.* propter utilitatem contrahentium, si vero ea desit ratio, nullaque sit utilitas oppignorari non possunt.

§. 12. *Arma militum, l. 14. de re mil.* ne milites armis exuti à functionibus, & exercitiis militaribus avocarentur.

§. 13. *Neque Athletæ spem præmiorum oppignorare possunt, l. 5. C. quæ re pign. obl.* ne forte dum eorum præmiorum spes adimitur, Athletarum virtus, & alacritas minuatur: Nihil tamen obstat, quo minus judicis autoritate pignori capi possunt præmia obtentæ victoriæ, *l. 40. de re jud.* si alio modo rei judicatæ satisfieri non poterit. *l. 4. C. de exec. rei jud.*

## C A P U T I V.

*Quo utraque actio pignoratitia traditur.*

§. 1. **E**x contractu pignoris duplex oritur actio directa & contraria. *Actio pignoratitia directa datur debitori adversus creditorem, ad hoc, ut pignus soluto debito, cum omni causa restituatur, & omni eo, quod creditoris interest ob culpam creditoris latam levem atque moram.*

§. 2. *Datur debitori, l. 4. de pign. act.* Etenim ratio hujus contractus illud postulat, ut debitor, qui  
rem

rem pignori tradit eam repetat exoluto debito, utpote cessante causâ ob quam pignus creditori fuerat datum. *l. 9. §. pen. de pign. act.* Neque creditor debitori pignus repetenti recte dominii quæstionem opponet, cum ab alio rem habens non recte eidem referat dominii quæstionem. Neque prædoni, qui pignus dedit, hæc actio denegatur. *l. 22. §. 1. de pign. act.*

§. 3. *Contra creditorem*, qui rem accepit pignori, non item aversus tertium possessorem cum actio pignoratitia directa ex contractu nascatur. *op. l. 27. de pign. act.* Resp. Ex hac lege constat hunc contractum non esse in initium tantum inter debitorem, & creditorem primum, sed & secundum.

§. 4. *Soluta debito*, solutionis voce latius acceptâ pro omni modo, atque ratione, quibus creditori satis fit, sive illud quod debetur, verè atque naturaliter fuerit præstitum, sive creditor debitum acceptum tulerit, sive innovatum fuerit debitum, vel creditori satisfactum, ut ecce suscipienda nova pignora in locum priorum *l. 50. §. 1. de jur. dot.* vel fidejussorem *l. 5. §. ult. q. m. r. cent. solv.*

§. 5. *Ad id ut restituatur pignus cum omni causa.* Hoc enim in contractu tantum agitur, ut creditor reddatur securus, nihilque juris in creditorem transit, sed nudam consequitur pignoris custodiam. Itaque pertinet ad debitorem omnis pignoris accessio, fructus atque causa. Venit quoque in hac actione pretium, quod ex pignore vendito apud creditorem extat cum usuris, quas ex pretio favori residuo percepit creditor, sive ipse usus fuerit, sive in mora fuerit restituendi, *l. 6. §. 1. §. 7. de pign. act.*



§. 6. *Et omni eo, quod debitoris interest propter creditoris culpam latam, & levem, atque moram.* Merito creditor damnum refarcit, quod pignori per culpam suam, vel moram dedit, neque enim licet re alienâ abuti impune. Pignus autem in gratiam utriusque contrahi palam est in gratiam debitoris quidem, ut fidem reperat, in gratiam creditoris, ut in tuto sit creditum *l. 5. §. 2. Comm.* Culpa hoc loco significat culpam levem secundum communem interpretum opinionem. Præterquam enim, quod vox culpæ simpliciter posita mediam culpæ speciem hoc est levem notat; Ratio juris non patitur, ut majorem diligentiam requiramus, quam bonus, atque diligens paterfamilias rebus suis adhibere solet vide *l. 18. in fin. princ. comm.* Opponunt dissentientes imprimis *l. 13. §. 1. de pig. act.* *Ubi venit in hac actione dolus, & culpa, ut in commodato, Venit & custodia: vis major non venit.* Unde triplex tollit formari obejectio. 1. In actione pignoratitiâ venire eandem culpam quæ in commodato. 2. Præstari quoque custodiam. 3. Solam excludi vim majorem.

Ad 1. sic Resp. In pignore venit eadem culpa quæ in commodato quoties pignus datum est in gratiam solius creditoris, *Sic cape l. 5. C. de pig. act.* 2. In pignore venit eadem culpa, quam in commodato, quoties commodatum initur in gratiam commodantis, & commodatarii hoc enim casu in commodato quoque præstatur culpa levis. Secundum regulam quæ proponitur in *l. 5. §. 2. Comm.* Possit autem commodatum iniri in gratiam utriusque palam est, ex eo quod possit commodatum in gratiam solius commodantis iniri *l. 5. §. 10. Comm.*

Ad



Ad 2. Resp. Vocè custodiæ, ut plurimum & regulariter notari summam diligentiam, quæ opponitur culpæ levissimæ, quandoque tamen accipi pro mediocri diligentia culpæ levi oppositâ.

Ad 3. Resp. Ex eo, quod vis major dicatur non venire in hunc contractum haud sequi quamcumque culpam etiam levissimam præstari, unius enim exclusio non est alterius inclusio. Nonnulli tamen leviculâ mutatione textus nodum solvunt, sic enim legunt. *Venit autem in hac actione dolus & culpâ. At in commodato venit & custodia, vis major non venit.*

§. 7 *Actio Pignoratitia contraria datur creditori adversus debitorem ad repetendas impensas, aliaque, quæ ratione pignoris ei absunt.* Æquitas enim postulat creditorem nullum occasione pignoris damnum pati debere, cum ex eo nullum lucrum percipiat. Datur insuper hæc actio heredibus creditoris & fidejussori, cui pignus traditum est, ut fidejuberet *l. 9. §. 1. de pign. act.* Hæc actio adversus debitorem datur, neque tantum eo casu quo ab initio res ejus fuit, sed & quo postea ejus est facta non tantum directe, sed & utiliter ne debitor improbe veniat adversus suum factum. Creditor quoque hac actione consequitur illud, quod sibi abest occasione pignoris, sive illud eveniat creditoris culpâ, vel dolo, sive vitio ipsius rei, ut ecce; Si rem vitiosam pignori acceperit, ut servum morbosum furem, vel infectum, sive illud factum sit sciente, aut ignorante creditore *l. 31. de pign. act.* si æs pignori dedit affirmans esse aurum, vel si æs pro auro subjecerit *l. 36. de pign. act.*



## CAPUT V.

*Quo traduntur pacta quæ pignori subjiuntur.*

§. 1. **I**Mprimis quidem huic contractui adjicitur, *Pactum Antichreseos*, quo placet, ut creditor pignoris fructus lucretur. Nam etsi fructus percepti ex re sint imputandi in sortem ejusque minuant quantitatem *l. 1. §. 1. C. de pig. act.* & si adæquent ipso jure extinguant quantitatem *l. 1. §. 1. C. de dist. pign.* pacto tamen fieri potest, ut cedant creditoris lucro *l. 17. C. de usur.* Ubi si ea lege possessionem mater tua apud creditorem suum obligaverit, ut fructus in vicem usurarum consequeretur, obtentu majoris emolumenti propter incertum fructuum proventum rescindi placita non possunt.

§. 2. *Pactum commissorium est pactum, quo inter debitorem, & creditorem, ita convenit, ut si tempore statuto, debitum non sit solutum, res pignorata pro quantitate debitâ pleno jure acquiratur creditori.* Hoc pactum plane est prohibitum, quam prohibitionem Constantinus noviter repetit, *l. fin. C. de pign. act.* Ne debitor egestate pressus eo pacto adduceretur ab iniquo & avaro creditore in hanc duram legem atque conditionem, ut si statuto die non solverit, pignore, quod magis valet quam debita quantitas, cavere cogatur, atque ita cum damno ejus creditor lucrum faciat, quod contra bonos mores est *l. 206. de R. J.* Et quamvis pignus debitam quantitatem non excedat, tamen adhuc iniqua censeri debet ejusmodi conventio quod

quod re suâ carere cogatur debitor, ab non solutum suâ die debitum. Cum ergo ostendimus hanc impiam esse conventionem, & contra bonos mores non poterit ea juramento, aut statuto firmari *per l. 5. C. de leg.*

§. 3. Valet tamen pactum, quo convenit, ut, si suo tempore non sit soluta quantitas debita, creditor rem nexui pignoris obligatam pleno jure acquirat, sed justo pretio tunc æstimandam *l. 16. §. ult. de pign. & hyp.* Cessat enim hoc casu iniquitas pacti commissorii, cum neuter contrahentum lædatur, pactumque istud cadat in emptionem conditionalem & justum pretium relinquatur arbitrio boni viri, aut ad communem, quæ tunc erit, æstimationem.





# COROLLARIA.

I.

*De Re Certa & plane indubitata trans-  
actio non est.*

II.

*Error in personâ vitiat nuptias.*

III.

*Tutor Exheredato dari potest.*

IV.

*Non locus sed usus distinguit prædium ru-  
sticum ab urbano.*

F I N I S.